

describi in nostro oraculo: I) *Consilium & decretum diuinum, de hominum lapsorum salute, per Christi meritum reparanda.* II) *Permissio diuina, qua Deus in hunc finem salutarem permisit, suum Filium a Iudæa prodi, & a Iudæis crucifigi.* Addo ego huius vtriusque scopum, quem Petrus, per hanc geminatam descriptionem, totamque reliquam orationem suam pentecostalem, intendebat, nempe conuersionem auditorum suorum, de qua luculenter testantur versiculi, 38 - 41, Act. II. Atque hoc cum illo recurrit, quod supra monui, de tribus huius nostri oraculi partibus. Nunc sufficit hoc vnum addere, quod totus etiam textus noster nobis sistat propositionem, vnam quidem, sed de composito, vt Logici loquuntur, & subiecto, & prædicato, secundum propositiones, vt dici solent, incidentes, tam in subiectum, quam prædicatum. Subiectum, ad quod tota refertur oratio, Jesus Nazarenus est. Atque hic ante describitur, quam prædicatum totius orationis adiiciatur, tanquam ἐκδοτῶς, traditus ad redemptionis opus perficiendum, idque secundum definitum Dei vnitrini consilium ac præscientiam. Et hæc huc vsque constituunt, subiectum totius nostri textus, cum addita, seu adhærente, notabili quadam huius subiecti descriptione. Quod, vel maxime propterea monendum esse duco, vt intelligatur, non esse necesse, vt vel ὠρισμένη βελή, vel πρόγνωσις τῆ Θεῶς, cuius Lucas meminit, referatur, vel ad λαβόντας διὰ χειρῶν ἀνέμων τὸν Ἰησοῦν, vel ad προσπήξαντας & interficientes eum. Sunt enim reuera pars subiecti totius orationis, & ad prædicatum per se non spectant, secundum leges bonæ ἀναλύσεως iuxta, atque ἐξηγήσεως. Nisi quis, illud κατ' ἀνθρώπον & ex abundantia fieri posse, existimauerit, ad conuincendos supra commemoratos Aduersarios, ac demonstrandum illis, quod nihil eorum, quæ illi prætendebant, ex textu nostro, relinquatur, si vel maxime ἡ τῆ Θεῶς ὠρισμένη βελή καὶ πρόγνωσις αὐτῆς ad proditorem, comprehensores, & interfectores Christi extenderetur. Prædicatum, quod additur, est denuo compositum: De Jesu enim Nazareno, qui antea describebatur, vt a Deo ordinatus ab æterno ad opus redemptionis in tempore perficiendum, affirmat Lucas hæc tria; α) Quod eum Iudæi apprehenderint & duxerint captiuum, & quidem proditum traditumque, per manus iniquas, & Iudææ proditoris, & militum, imo

C

etiam